Scrutamini scripturas quia vos putat: in ipsis vitam æternam habere.
Iohan . V

THESAVRVS

SACRARVM HISTORIARV̄ VETERIS TESTAMĒTI, ELEGĀTISSIMIS IMAGINIBVS EXPRESSV̄ EXCELLĒTISSIMORV̄ IN HAC ARTE VIRORV̄ OPERA: NV̄C PRIMV̄ IN LVCĒ EDITVS.

SVMPTIBVS ATQVE EXPENSIS GERARDI DE IODE ĀN·1585

Thesauri Historiarum Veteris Testamenti

PREFATIO.

HAbes hoc in libro, beneuole lector, præcipuarum veteris testamenti historiarum Thesaurum, ab ipsa mundi Creatione, ad Machabeos vsque, elegantissimis iconibus seu figuris expressum. Comprehenditque historias triginta duas: quarum nonnulla tribus, quædam sex vel septem & pluribus etiam constant partibus, Iuxta historiæ argumentum in catalogo comprehensum: à diuersis maximèque excellentibus huius ætatis pictoribus inuentum, & sumptibus magnis congestum. Quare perutilis fuerit & maximè idoneus hic liber omnibus pictoribus, sculptoribus, aurifabris, vitriarijs, alijsque id genus artificibus, qui pictorum beneficio sua opera exornant & expoliunt. Porro cum breuiter hic præcipua notissimaque scripturarum capita congesta sint, facili labore nulloque legendi tædio, solo oculorum ministerio, percurrere licebit quæ alioqui vix assidua prolixaque lectione consequaris. Quemadmodum enim Cosmographi terrarum situs,& vrbes,& montes,& syluas, & maria,& flumina,& lacus, animantia etiam permulta, vna in tabula dilucidè complectuntur: sic vna pagina sæpe comprænendit diuersorum capitum integram hystoriam. Ad memoriam igitur renouandam quantum momenti adferant hæ figuræ Biblicæ, notius est, quam vt testimonium requiratur. Quicunque ergo omnè tædium legendi iucundissimo aspectú cupit commutare, memoriamque veterem renouare, is sibi familiarem hunc Thesaurum faciat, hunc sæpe aperiat contempleturque, & se in pietatis studio proficisse mimino tædio atque labore gaudebit. Cæterum, pie lector, antequam finem dicendi faciam, hoc vnum præfandum restat, mihi neutiquam in animo sedere, cuiquam hoc nostro libello velle ex manibus excutere ipsam Bibliam, absit vt hoc mihi in mentem veniat: sed mea opera prodesse voluisse, vt supra monui, primum pictoribus, deinde reliquis cuiuscumque conditionis hominibus, quos legendi labor atque fastidium propter senium vel alias occupationes à lectione Biblica reijcit: si videro hunc meum laborem tibi non ingratum esse, Futurum est vt eandem operam aliquando noui testamenti libris impendam.

Spectatori Candido.

Q Vas olim veteris cecinere volumina legis,
Quæ Teſtamenti ſunt velut vmbra noui:
Hic tanquam in ſpeculo poſitas ex ordine ſacras
Hiſtorias breuiter, Candide lector, habes.
Principium ſumunt quenam fabricator Olijmpi
Fecerit ex nihilo, quicquid in orbe latet.
In quo nec validas regni patefecit habenas,
Nec declarauit ſe ſine fine Deum.
Eloquij Princeps non hoc tamen ille videbat,
Non hoc cum ſocijs nouerat ipſe Plato.
Hanc ſequitur, quod fratre Caino, extinctus Abelus
Æuum cum Superis omne beatus agat.
Tum miranda nimis Babilonis culmina turris,
Tempore & in cineres quam citò verſa breui.
Deinde quid in vita venerandus geſsit Abramus
Antiquæ fidei qui pater eſſe poteſt.
Tum Lotus, fratréſque duo, quorum alter Iacob
Alter & eſt Eſau, nomina fama tenet.
Et bis ſex numero Patriarchæ, vitaque Dinæ
Vita, pudicitia, nec pietate minor.
Caſus Ioſephi varius, qui pandere viſa
Nouerat, hinc odio fratribus vnus erat.
Geſta ducis Moſi, virtus quoque digna relatu
In genus Iſacidum quam grauis ira Phari.
Leſaque quod Domini tandem clementia faſtu,
Creditur huic multas impoſuiſſe plagas.
Adde quod è cælo (dictu mirabile) Manna
Iſacidum genti miſerit ipſe Deus.
Quodque Dei nutu patrias dum tendit in oras,
Libera purpueri per maris iuit aquas.
Et ducis Iſacidum, fuerint quæ facta Boori
Et Ieptæ valida, prælia geſta manu.
Hiſtoria eximij Dauidis, & aſpera Sauli
Bella, Philiſtæis qui modo præda fuit.
Reginæ Athaliæ, Salamonis & acta potentis,
Et qualis Roboam, Ieroboamque fuit.
Quantus & Helias per cuius vota, miniſtros.
Quindenos Balaam ſuccubuiſſe ferunt.
Atque Heliſei miracula nota Prophetæ,
Perſica quàm varias ſceptra tulére vices.
Et pia facta ſenis Tobiæ acta inclita Iudiht
Abſtulit Aſsirij quæ ducis enſe caput.
Conſilium Heſteræ, iuſti patientia Iobi,
Omnibus exemplo quæ ſatis eſſe poteſt.
Hiſtoriæ, bis ſex Vatum, caſtumque Suſannæ
Coniugium, falſò quæ rea facta fuit.
Et quicquid Daniel Vates prædixit, Iudas
Qui vicit multos non ſine laude duces
Pectore quæ noſtro debemus pingere lector,
Nos omnes etenim pagina ſacra docet,
Lex antiqua, nouæ eſt velut occultatio legis,
Atque noua antiquum lex manifeſtat opus.
Poſſumus hic claré non ſolum exempla videre,
Tempore quæ noſtro ſunt imitanda malo.
Verum etiam quænam ſtudio vitabimus omni,
Omnibus & quænam ſint fugienda modis.
Nam bene geſta Patrum ſunt exemplaria nobis,
Ad quæ nos vitam compoſuiſſe decet.

Historia Creationis mundi Crispiano vanden broeck inuentore folijs 8.

1

Verbi deus potentia lucis creat exordia, Cælum locat, fundat ſolum et mĝna ꝓfert lumina Ger. de Iode

Cuncta deus vno creat hic animalia verbo. Estque vigetque statim, quod fuit ante nihil. Genes. 1.

Exiguo fingit mortalia corpora limo, Materiam terra ſuppeditante, Deus. Geneſ. i.

Ecce nouo demptam tollit de corpore costam, Et capit hinc formæ facta puella decus. Genes. 2.

Iuſsa dei ſumpto violantur ab arbore pomo, Efficit hoc tacitis vipera ſæva dolis. Genesis. 3.

Ad patris irati uocem formidine capti, Aufugiunt Culpam, noſcit uterq; ſuam · Geneſ · 3 ·

Angelus exilio miseros castigat acerbo . Raptaq; sed serò poma tulisse dolent . Genesis . 3 .

Lapsus homo tolerat miseram cum coniuge vitam, Cunctaq; tabescunt membra dolore graui. Genes. 3.

Historia Caini et
Abelis: per. M. Michae-
lem Coccium: 3. fol:

Munera grata deus iusti respexit Abelis, Ruricolæque nihil uota precesque putat. Genes. 4.

Jnuidia fratrem Cainus morte necat hic: Amittitque truci cæde salutis iter. Genes. 4.

Heu scelus ante aras et conscia sacra deorum, Fraterno cæsus frater ab ense iacet. Genes. 4.

Historia Noe per
Iohannem Bol: 3.
fol:

GIVSSV DEI, ARCAM FABRICAT NOE, INGREDITVR CVM SVIS, OCTO ANIMÆ, ET ANIMALIA VTRIVSQVE SEXVS. GEN. VI.

OB PECCATA DILVVIO DELETVR OMNIS CARO, HOMINVM, ANIMALIVM, VOLVCRIVM, ET REPTILIVM. GEN. VII.

POST ANNVM, NOE CVM OMNIB: EGREDITVR, ET OFFERT HOLOCAVSTA DOMINO. GEN. VIII.